DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ANASARCA.

8

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE ANASARCA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

SAMUEL CLEVERLY,

ANGLUS;

SOCIET. MED. EDIN. SOC. EXT. NECNON SOCIET. PHYS. ET LYCEI MED. LOND. SOD.

Ad diem 24 Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO.

TYPIS GEORGII MUDIE ET FILII.

1797.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ANASARCA.

S. CLÆVERLY, Auctore.

DEFINITIO.

ANASARCA forſitàn ſatìs accuratè defini- ri poteſt, corporis totius, vel partis ejus intumeſcentia mollis, pallida, inelaſtica. Clariſſimus Cullen sub hoc nomine œdema et phlegmatiam priorum noſologorum complexus eſt: cùm hi ejuſdem generis morbi inter ſe gradu tantùm differant.

HISTORIA.

HISTORIA.

Statûs hujus mali incipiens molestiâ tantillâ interdùm stipatur, ut attentionem etiam ægri vix attrahat, qui solitâ valetudine fruitur; nisi quod, postquam erectus aliquamdiù permanserit, pedes ac tali tumore concolore parùm ampliari observantur, digiti pressuræ cedente, vestigiumque per breve spatium retinente.

Hæc inflatio sæpè primùm observata est ob superficiei inæqualitates, calcei vel tibialis inæquali compressione factas, et recumbente corporis positione nonnunquàm prorsùs solvendà; erectâ tamèn resumptâ rursùs reversura. Et hujusmodi alternatio per longum tempus, vitio vix alitèr mutato, perstare potest.

Sæpiùs tamen rapidè progreditur, præcipuè in corporibus naturâ debilibus, vel quæ morbis anteà læsa, vel validis excitantibus causis objecta fuerunt. In talibus tumor latiùs diffunditur ab inferioribus partibus sursùm procedens; et

maximam

maximam diſtentionem efficiens, ubi laxiſſima eſt tela reticulata: donèc fortaſſè univerſus tandem fiat, facilem artuum motum impediens, oris lineamenta valdè diſtorquens, fœdiſſimèque totam formam mutans; quæ mutatio, lurido pallore cutis frigidæ et ſenſibilitatis minutæ, augetur.

Partium maximè dependentium veſiculæ cuticulares sæpè ſponte apparent, magnaſque fluidi aquosi quantitates per cutem sudare ſinunt. Inflammatio quædam veſiculas ruptas subindè ambit; eaque, quanquàm levis, haud raro in gangrænam desinit.

Urina plerùmque parca, subrubra et sedimentum deponens, malum comitatur; ſæpè etiam ſed non ſempèr alvus adſtricta. Exhalatio naturalis per cutem penè ceſſat, ſaliva parciùs ſecernitur; et æger, dùm cibi cupiditas multùm imminuitur, vehemente siti laborat.

Rebus ita ſeſe habentibus, cum febri lenta, spiritu difficili et tuſſi ſicca, vires vitales ſenſim

deficiunt: donèc nova seu graviora symptomata, ex aqua intra abdomen, thoracem vel caput collecta, nascantur; quæ mortem ferè afferunt.

CAUSÆ MORBI.

INTUMESCENTIAM propriam, quæ hunc morbum denotat, ex humore præsertìm aquoso intrà telam reticulatam collecto oriri compertum est: quamvìs dubitârunt quidam, num in loculis, ad oleum animale recipiendum à natura designatis, aliquandò etiàm contineri possit. Constat totum humorem, qui ex una in alteram corporis partem tàm facilè transit, reticulatam fabricam possidere: quùm talis transitus liquoris in cellulis contenti inter se directè non communicantibus, fieri non posset. Et quoniàm in affectionibus levibus, totus humor hanc loci mutationem satìs facilè subire videtur; verisimile est, in his saltèm, cellulas morbi expertes esse:

quarum

quarum complures quidèm adipe præoccupatæ sunt.

At, si morbus inveteravit et oleum animale evanuit; probabilius est, cellurarum latera collapsa, quàm aquâ distenta esse: quod effici non potuit, nisi hoc fluido deposito per vasa oleum antèa secernentia.

Hanc humoris, præter naturam, congesti onem duabus causis ferè attribuunt auctores; vel effusioni auctæ, vel resorptioni diminutæ humoris naturâ secreti ad interstitia corporis lubricanda. Satìs perspicuum est tamèn, neutram harum necessariò morbum facere; nâm dummodò augeatur resorptio pro ratione incrementi effusionis, vel diminuatur effusio ex ratione resorptionis decrementi; in utroque casu nulla congestio produci posset. Effusionis itàque excessus super resorptionem mali causa rectiùs habetur.

Hic excessus debilitati generali sæpiùs succedit,

dit, ſeu ſpontaneæ, sive è morbo priore profiſciſcenti: arteriarum finibus exhalantium forſitàn adeò relaxatis, ut lymphæ majorem ſolito copiam evadere ſinant; dùm vaſa reſorbentia, ad proportionem usitatam removendam, parùm valeant.

Quodcunque præthereà hanc imbecillitatem inducere poteſt, ratione jam dictâ, cauſa morbi remota ſæpiſſimè eſſe poſſit: qualia ſunt mediocris exercitationis omiſſio, parcum ſeu inſalubre alimentum, ſpirituum fermentatorum immodicus uſus, forſitan etiam narcoticorum, profuſæ evacuationes cujuscunque generis, ſed imprimìs ingens ſanguinis jactura.

Reſorptionis attamèn ſola imminutio, exhalatione haud mutatâ, ſatis eſt etiàm malum inducere; quæ ab actionis ſanæ vaſorum reſorbentium defectu pendere poteſt: et nonnulli, œdematis artuum paralyticorum hanc cauſam eſſe, putârùnt.

"It

"It ſeems probable (inquit auctor clariſſimus) "that abſorption might be diminiſhed, and even "ceaſe altogether, from a loſs of tone in the "extremities of the lymphatics." Mihi tamèn videtur, ſi minuta horum vaſorum vis non altiùs procedat, quam ubi attractio capillaris deſinit, reſorptionem ſatìs promptè progreſſuram eſſe.

Etenìm intellectu difficile eſt, quomodò actio partis vaſis lymphatici, quæ infra par valvarum eſt, motum naturalem liquoris, quem continet, promovere queat: niſi priùs ad orificium ſe perfectè contrahat, et contractio à fine furſùm annulis ſuccedentibus progrediatur; tùnc quidèm totum humorem contentum per primum valvarum par premi oportet.

Sèd neque attractio capillaris, neque hujuſmodi actio, ad reſorptionem explicandam, neceſſaria eſt; quamvis veriſimillimum eſt, attractionem capillarem, in vaſis adèo parvis, verè agere. At, ſi non ageret, tamèn dilatatio et contractio alterna lymphaticorum truncorum effectum

effectum produceret, fine ulla ope finium, nisi canalium inertium. Nam omni contractione partis lymphatici duas inter valvas sitæ, portio liquoris contenti per par superius premetur: et, parte iterùm se dilatante, vacuum fiet; quod liquore solo, in quem vasis extremitas immergatur, suppleri potest.

Glandularum vitia lymphaticarum causis re-resorptionis diminutæ annumerata sunt: et quanquàm, ob horum vasorum frequentem anastomosin, hæc raro fortassè sufficiant, ad lymphæ transitum prorsùs impediendum; non dubium est tamen, quin ea eundum sæpè multum impediant.

Ubi augetur exhalatio, resorptione naturali manente vel non auctâ pro ratione exhalationis incrementi, congestio differentiæ quantitatum æqualis fiet.

Verisimile est, resorptionem auctam, initio morborum hydropicorum, interdùm adesse; præsertìm

præfertim ubi caufis infra memorandis exoriantur *. Nam conftat, ex aquæ prompta reforptione in thoracem canis injectæ †, vafa lymphatica majorem humoris copiam quam iis naturâ datur reforbere poffe. Itaque videretur, vafa reforbentia, in talibus rebus, ad actionem fuam augendam parari; et actionem reverà augeri, cùm vim naturalem propè poffideant. Sed durante auctâ actione, vires vaforum reforbentium forfitàn deficient; donèc fanam humoris quantitatem amovere folummodò poffint, et tandèm minorem folito; ni actiones eorum caufis infolitis afficiantur.

Caufas complures effufionis auctæ enumerant auctores; quarum præcipuæ infra recenfentur.

1*mo*. *Lymphaticorum ruptura*. Sed licèt hydrothoracem vel afceten ductus thoracicus ruptus aliquandò fecerit, certa tamen anafarcæ exempla

* Reditum Sanguinis Impedientia, p. 12.

† Swietenii Commen. vol. iv. p. 129.

a minorum lymphaticorum ruptura rarò fortaſſè accidunt.

2do. *Fluidi aquoſi in ſanguine nimia quantitas vel per os vel corporis ſuperficiem accepta.* Notatum eſt, incolas humidorum et humilium locorum, morbis hydropicis magis obnoxias esse; quàm qui ſicciore cœlo fruuntur. Sed hoc a talium locorum inſalubri effectu potiùs pendere poſſit, quàm a majore humoris copia lymphaticis cutis objecti.

Aquam in ſanguine, ad malum faciendum, nullis aliis adjuvantibus cauſis, non ſufficere, manifeſtum eſt; quonià min ſecunda valetudine per idoneos exitus ſempèr expellitur. Sed ubi bibita eſt gelida, morbus interdùm ſubitò apparuit: et ejus explicatio tentata eſt, exiſtimando, frigus vaſa excernentia conſtringere: quamvìs nulla ratio reddita eſt conſtrictionis horum, potiùs quàm vaſorum in corporis cavis deſinentium; quae ſecundum hanc opinionem in ſtatu omninò diverſo eſſe oportet.

Dubitârunt

Dubitârunt quidam, an morbus reſorptione à ſuperficie unquàm produci poſſit: quùm ſignificare videatur, vaſa reſorbentia cutis potentèr agere; vaſis cavorum munere ſuo non plenè fungentibus. Facta tamen à Swietaneo narrata * veriſimillimum reddunt, cutes hydropicorum re verâ, magnas aquae quantitates ab aëre interdùm imbibere; dùm etiàm in cavis congeſtio rapidè progreditur.

Haud abſurdum eſt quidèm putare, lymphatica unius partis validè reſorbere, alterius languidè agentibus. Sed hæc opinio ad rem exponendam non prorſùs neceſſaria eſt; etenìm ſingula lymphatica vi æquali agere poſſent, dummodò humor ex cavis reſorptus iterùm depoſitus eſſet, unà cum humore per ſuperficiem imbibito: quod cum ſententia ſuprà dicta convenit, de reſorptione aucta præſertìm inter initia quorundam hydropum.

3*tio*. *Evacuationes ſuppreſſæ.* Hic morbus n-

 terdùm

* In Aphor. 1240.

terdùm etiàm apparet, excretione ſudoris, urinæ vel utriuſque impeditâ ſeu ſuppreſsâ. Sed in his caſibus fieri poteſt, ut hæ tres affectiones ex communi cauſa oriantur: et quùm concipi poſſit exhalationem auctam, harum excretionum impeditarum cauſam eſſe poſſe; an inter cauſas hydropis eas enumerare debeamus dubium eſt. Nihilominùs perſpicuum eſt, retentionem contra naturam fluidi aquoſi in vaſis ſanguinem vehentibus inuſitatam ejus copiam arteriis exhalantibus dare poſſe; ideòque inſolitam ſecretionem ſinere.

4to. *Denſiorum ſanguinis partium productio defectiva:* Quæ hanc morbidam tenuitatem, efficere, et pari ratione, ad humorem auctum deponendum conferre queat.

5to. *Reditus ſanguinis impeditus.* Adhùc omnes cauſæ memorandæ reſtant, quæ liberum ſanguinis venoſi reditum impediendo morbum faciunt. Cùm enìm ſanguis per eos arteriarum ramos, qui cum venis communicant, liberè

tranſire

tranſire non poſſit; majore ſolito vi premetur in ramos deſinentes in ſuperficiebus, et igitur eorum ſecretionem augebit: ad hunc tamèn effectum (ni fallor) arteriarum exhalantium aucta actio nequaquàm neceſſaria eſt; licèt auctor recens alitèr judicaverit.

Cùm in ſano animali ligatura venæ imponitur, et reditus ſanguinis repentè obſtruitur; arteriarum diſtentio capillarium illicò ſecutura ad actionem augendam eas fortaſsè ciebit. Sed dubitari poteſt, an effectus idem obſtructionem senſìm factam (ut lento tumoris incremento, vel jecinoris duritie ex inflammatione diuturna) conſequatur.

Quamvìs enìm muſculi ſubitâ extenſione validè excitantur: tamèn ſi paulatìm et quaſi inſidioſè fiat, parùm renituntur: modò ſaltèm ne ultra modum intendantur. Quìn etiam ſi concedatur, arterias capillares initio morbi inſolitâ vi nonnunquàm agere; tamen non veriſimile videtur, hoc per longum ſpatium durare poſſe.

Prætereà

Præthereà, debilitas cordis et arteriarum grandium, quæ morbis hydropicis ex his causis totiès adest, opinionem de capillarium actione aucta non confirmat.

Pressura ex altitudine sanguinis in venis (quam sempèr, corpore erecto, ingentem esse oportet) tumorem artuum inferiorum hydropicum sæpiùs efficit; ut constat ex vitio tàm sæpè remoto ubi, recumbente ægro, pressura cessat.

"Optimè notavit celeberrimus de Sauvages "(inquit Van Swieten *) humores sanos habere "certum viscidittatis gradum, per quam adhæ-"rent lateribus vasorum; adeoque per hanc "minuitur actio gravitatis, ubi perpendiculari-"tèr ferè debent ascendere. Si jàm nata fue-"rit cachexia talis, ut non amplius firmus et "bonus sanguis producatur, sed in aquosam "tenuitatem degenerare incipiant humores, "minuetur illa adhæsio ad latera vasorum, ma-"nente tamèn immutatâ vi gravitatis; adeoque "tunc

* In Aph. 1228.

"tunc facile tumebunt artus inferiores." Hic ratiocinandi modus mihi aptus videtur, si sanguis venosus sistat: sed cor versus movet; oportet igitùr ullam adhæsionem, quam ad venarum latera habeat, in conjunctione cum gravitate sanguinis, in transitum ejus impediendo, agere. Hæc adhesio itaquè, quatenùs agit, vires ad lympham extrudendam pertinentes non minuit, sed aùget; quùm jàm ostenderimus quo modo reditus sanguinis impeditus hoc efficiat.

Non dubium est, effusionem faciliùs accidere, cum sanguis in morbidæ tenuitatis statu sit, quàm cùm habeat visciditatem solitam: sed, ut mihi videtur, Sauvagesius rei explicationem non dedit: quæ potiùs quærenda est ex facilitate majore, quâ humores tenues per canales parvos transeunt. Quin et congestio aquæ in cachexia ex quibusdam aliis causis supra memoratis haud dubiè oritur *.

6to. *Vitia organica.* Cordis quædam affectiones

* Debilitas arteriarum exhalantium, vasorum resorbentium, et fortasse venarum.

tiones organicæ per hoc viſcus ſanguinis tranſitum impedire poſſunt: ſcilicèt valvarum ejus in os converſio: dummodò ea ſufficiat ad propriam earum actionem prohibendam. Nam in hoc caſu, ventriculo ſe contrahente, pars ſanguinis in eo contenti in auriculam iterùm tranſibit; et ſic idoneæ ejus rationis ex venis receptionem prohibebit: et ſive valvulæ tricuſpides ſive mitrales hoc morbo afficiantur, effectus æquè edetur. Intellectu quoque facile eſt, quomodo ſimile vitium valvarum arteriæ pulmonalis vel aortæ * eandem tranſitûs ſanguinis venoſi moram facere poſſit.

Plerique ſcriptores, pari ratione, polypos in diverſis cavis cordis memorârunt inter cauſas morborum hydropicorum. Sed incertum eſt, an iſtæ maſſæ coagulabilis lymphæ, quas auctores polypos nominârunt, in vivis animalibus necne unquàm exiſtant: quippe quæ, nullo hydrope præcedente, ſæpiùs reperiantur. Veriſimile eſt igitur, has poſt mortem oriri, ex ſpontanea

* Vide Cheſelden's Anatomy, p. 182.

nea coagulabilis lymphæ ſeparatione a ſe-ro.

Ad hunc locum etiàm idoneum eſt referre omnes cauſas facilem per pulmones circuitum impedientes: neque ſilentio prætereunda eſt preſſura ſuper venam cavam ex aqua in thorace ſeu abdomine collecta, vel ex viſceribus malè ſe habentibus, vel utero gravido.

Et ubi pars tantùm corporis anaſarcâ afficitur, ex aliquo tumore venas ejus premente oriri queat, vel aliis hujus mali cauſis ei parti ſoli nocentibus.

7mo. Arteriarum actio aucta. Quidam recentes ſcriptores putârunt hujus mali ſpeciem exiſtere et quidèm haud rarò ex nimia arteriarum actione orientem: quod conceperunt ſatis perſpicuum eſſe ex morbi ſymptomatibus et medendi ratione quæ prodeſt.

Non negandum eſt, auctam arteriarum ac-

tionem ſecretiones augere poſſe, nec eas hoc modo ſæpè augeri. Sed ritè dubitatum eſt, nùm hæc cauſa ſola ad hydropem efficiendum ſufficiat; quoniàm ſæpiſſimè, morbo non apparente, diù adeſt.

Notatum eſt, ſanguinis miſſionem, cathartica, emetica, digitalem, famem, timorem, laborem, &c. remedia eſſe, quæ vim arteriarum multùm imminuunt; et concluditur, ea ob hanc cauſam in hydrope prodeſſe.

Nihil tamèn magis perſpicuum eſt quàm quòd minuta arteriarum actio ad bonos horum auxiliorum effectus explicandos non ſufficiat: nàm, durante eorum operatione, lymphæ reſorptio mirum in modum augetur. Sed actio arteriarum diminuta effuſionis imminutionem explicare tantùm poteſt, non reſorptionis incrementum. Hoc igitùr ratiocinandi modo nihil probari videtur: facta tamèn narrantur, pulſus dicitur plenus durus et frequens fuiſſe, et ſanguis miſſus ſuperficie coriaceâ tectus.

A

A plerisque conceditur, hæc symptomata rarò vel nunquàm in his regionibus apparere, saltèm in hydrope generali; quamvìs aliquandò fortasse oriantur ex visceris cujusvis inflammatione, puta pulmonis. Sed in hoc casu, hydrops ferè apparet sub inflammationis finem, ubi per pulmones circuitus sæpè multùm impeditur; et morbus itaque ad aliam causam referendus.

PROGNOSIS

Ex ægri ætate viribusque, gradu, diuturnitate, et causis morbi de eventu ejus optimè judicari potest. In juvenibus vel robustis quàm in senibus vel debilibus secundus exitus potiùs sperandus: quippe illi, malorum injurias et auxiliorum operationes faciliùs quàm hi tolerare possunt.

Et si recens levisque morbus sit, eò facilior ejus curatio erit: quùm naturæ vires, morbo per breve spatium durante, minùs fractæ fuerint, quàm si diutiùs durâsset: et parvus affectionis gradus causam levem indicat.

 Sed,

Sed, ſi appareat, morbum ex aliquo fortaſſè permanente vitio organico oriri, ſpes læti eventûs vix ulla eſt. Cùm contrà cauſa parti corporis tantùm adeſt; velùt in caſu preſſuræ tumorum ſanabilium, his remotis, ferè cedit anaſarca.

RATIO MEDENDI.

Hic morbus tollendus erit, evacuando aquæ inſolitam copiam et cauſas remotas amovendo.

CONSILIUM PRIMUM.

Humor intùs incluſus emitti poteſt, vel per auxilia externa, vel remedia in corpus recepta, vel utrorumque opem.

REMEDIA EXTERNA.

Medici ad hoc malum ſublevandum frictione diù usi ſunt, nec fruſtrà. Primùm lenitèr

adhibenda

adhibenda eſt, et poſteà ejus vis et duratio augenda, prout partes affectæ ferre queant. Per oleum vel alium liquorem mollem facilius redditur hoc opus: quod manibus mollibus puerorum vel mulierum agendum Celſus præcepit.

Effectus ejus ſalutaris fortaſſè pendeat à grato calore excitato, motu humoris incluſi producto, et preſſurâ modicâ, quam hic accepit: nam hæc reſorptionem augere et lymphæ iter per vaſa reſorbentia promovere poſſint.

Exercitatio et imprimis ambulatio a plerisque medicis multùm laudata eſt; ſudorem evocat, reditum ſanguinis venoſi haud parùm expedit, et uniuscujuſque corporis partis actiones ſanas forſitàn incitat. Commodum eſt etiàm unà cum his auxiliis faſciis uti, ex lana et peritè adhibitis.

At ſi humor abundat et neque per hæc, neque remedia infrà memoranda morbus tollitur; aquam extrahere idoneum ſit. Hoc conſilio diverſa

verſa remedia uſurpata ſunt, nimirùm puncturæ in cute, veſicatoria, fonticuli et ſetacia.

Medici nunc puncturas in cute inſtrumento acuto factas aliis auxiliis præferunt; quia illæ quàm hæc minorem inflammationem cient: et in hydropicis inflammatio maximè cavenda eſt, quòd gangrænâ haud raró terminatur. Inveteraſcente quidèm morbo, effectus idem puncturas interdùm ſequitur: nihilo minùs his utendum, nam ſi cutis diſtentioni non ſuccuritur, ob veſiculas ſpontaneas et inflammationem quæ ſæpè accidunt, majus diſcrimen expectandum eſt.

REMEDIA INTERNA.

Quod ad medicamenta interna: ea adhibita ſunt quæ facultatem excretiones aqueas àugendi habeant: ea præcipuè, quæ ſæpiùs præſcripta ſunt, proſequar.

Sudorifica. Sudorem copioſum, in hominibus hoc morbo implicitis, difficultatem movendi

ſuſpicor

ſuſpicor unam cauſam eſſe, cur medici eum excitare frequentiùs non conentur: ſi tamèn facilè effici poſſet; magna debilitas, quam hæc excretio ubi copioſa inducit, uſui ejus nunquàm favebit, in morbo quo vires vitæ ſunt tenues, deficientes, et fulctu difficiles.

Et quoniàm ingens humoris copia ſæpè amovenda eſt, fieri non poteſt, niſi magnâ et diuturnâ ſudatione; quam, propter humorem iterùm collectum, rurſùs repetere neceſſarium eſt. Sin alia remedia non, proſint, hoc memoriâ tenere licet: et quoad difficultatem; à Doctore Gregory notatum eſt *, ſudorem facilius elici, ubi, hydrargyro priùs adhibito, corpus probè afficitur.

Emetica, diu et ſæpiſſimè profectò cum multo commodo adhibita ſunt, quæ valida eſſe et ſæpè repeti debent, iis operantibus, vel nauſeâ, quæ præcedit, durante, ingens aquæ copia ferè reſorbetur, et in ventriculum et inteſtina infunditur, ex quibus vel actione vomendi

vel

* Conſp. Med. vol. ii. ſec. 1480.

vel purgatione expellitur; et haud rarò augetur urinæ excretio.

Cathartica. Cullenus obſervavit, homines hoc morbo laborantes cathartica quàm emetica meliùs tolerare, et copioſiorem et certiorem ſeri evacuationem nullis aliis modis effici poſſe, quàm hujus generis remediis *. Mitia aliquandò adhibeantur, ſed acriora † plerùmque anteferuntur: et Sydenhamus ſuadet ‡, ut ea repetantur quotiès ægri vires ſinere poſſint.

Hæc medicamenta formâ liquidâ exhiberi debent, licèt eorum operatio potu diluente non promovenda ſit. "Minime vero diluendum eſt "(dicit Gregory §) cum aliquod beneficii à ſti-"mulo et irritatione medicamenti expectamus, "veluti in hydrope in quo non tantum ad pur-"gandum alvum, quam ad excitandum corpus et

* Firſt Lines, vol. iv. p. 293.

† Gambogia, Colocynthis. Scammonium, Elatorium, Jalappa, Calomel.

‡ De Hydrope.

§ Conſp. Med. vol. ii. p. 358.

" et augendam actionem vaforum reforbentium " cathartica darti folent."

Diuretica. Nulla remedia contra hoc vitium quàm hæc quæ urinam movent ufitatiora fortaffè funt: quorum quædam profectò in cafibus adhibere licet, in quibus ob debilitatem emeticorum vel catharticorum operatio non toleranda fit.

Medici his temporibus ægros potu tenui liberè uti finunt; quod diù ftrictè interdictum fuit. Notionem aliquam de hujus prohibitionis rigiditate habeamus ex Celfo, ubi narrat, Antigoni Regis amicum quendam, ad neceffitatem bibendi fuam urinam, redactum effe *. Creditum fuit, liquores in ventriculum receptos morbum aucturos effe. Sed hujus opinionis fallacia probata fuit quorundam hydropicorum obftinatione; qui, fitis fuæ impatientes, largitèr bibendo eos liquores quos parare poterant, multum beneficii acceperunt.

* Lib. iii. cap. 21.

Ad urinam provocandam haud pauca medicamenta adhibita ſunt. Sales alcalini et neutri ſæpè commodè adminiſtrati ſunt : ſed cryſtalli tartari inter hujus mali præſtantiſſima remedia meritò recenſentur, ut multis et repetitis experimentis ſatis probatum eſt *. Scilla per multa ſecula uſurpata famam ſuam adhuc retinet, et non ſine inſigni beneficio cum hydrargyro ſæpè conjungitur. Digitalis exhibitio nupèr in uſum adacta eſt, quæ planta ob facultatem urinam potentèr movendi, multùm laudata eſt : Parvis doſibus primùm dari debet et augeri donèc aliquem effectum perſpicuum edat. Ubi nimia quantitas aſſumitur, pulſûs vim et frequentiam mirum in modum imminuit ; nauſeam vehementem vel vomitum efficit, ingentem virium jacturam, vertiginem, viſum imperfectum ſeu falſum interdùmque ferè totam cæcitatem †.

Maxima quidèm urinæ excretio accidere videtur,

* Ferriar Med. Hiſt. et Reflec.—Home Clin. Exper.

† Lond. Med. Mem. vol. ii. p. 174.

detur, inter vel poſt quaſdam harum affectionum, præſertìm debilitatem et nauſeam. Negat tamèn Doctòr Withering, nauſeam, ad utilem hujus remedii operationem, unquàm neceſſariam eſſe *.

Nicotiana ad hydropem tollendum felicitèr præſcripta eſt; quæ minùs quàm digitalis vitæ functiones afficere videtur: ſed ſicut hæc planta, efficaciſſimè agit, cùm talis quantitas adhibetur, ut nonnihil nauſeæ vel vertiginis inducatur. Multa alia remedia eodem conſilio quoque præſcripta ſunt; nimirùm olea quædam eſſentialia, colchicum autumnale, lactuca viroſa, allium et cantharis: quæ enumerâſſe ſufficiat.

CONSILIUM SECUNDUM.

Causas hujus mali remotas, quæ adſunt, amovere tentandum eſt: quamvìs dolendum eſt,

* On Fox-Glove, p. 4. and 5.

† Fowler's Med. Reports on the Effects of Tobacco, p. 74.

eſt, eas viribus medicamentorum ſæpè reſiſtere. Si aliquod viſcus affectum ſit, hydrargyro optimè tractatur; ſi tumores, ſi vitia cordis vel vaſorum ſi malus corporis habitus ſit, per rationes unicuique idoneas, ſi fieri poteſt, ſubmovenda ſunt.

Et ſi pulſus (ut quidam aſſeverârunt) juſto plenior, validior et frequentior reverà eſſet; vix dubitari poteſt quin eundem ad ſtatum naturalem reducere debeamus modis ab his auctoribus præſcriptis. Quoque notandum eſt, ſi ægri vires defecerint, vel inter curandum, vel poſt aquæ evacuationem, eas modis uſitatis ſuſtineri oportere. Hos recenſere vix neceſſe eſt, cùm omnibus notum ſit, corticem, ferrum, et balneum frigidum, aëra purum, cibum aptum, et exercitationem modicam, ad corporis vires vel fulciendas vel reficiendas haud parum prodeſſe.